

6
ratione nomen sortita fuit. Quantumlibet enim à sinistro cordis ventriculo procedat, venalis tamen, prorsus tunicae ejus substantia est. Usus verò ejus est, sanguinem vitalem in pulmones deferre, fuligines verò & vapores siccos foràs à corde efferre, & frigidulum aërem ei adferre.

QVARTA porrò est *Aorta*, quae à sinistro cordis ventriculo spiritum vitalem in omnes corporis partes vitae gratia defert, ope duorum praegrandium ramorum, unius in partes superiores, alterius autem ad inferiores excurrentis.

QVINTA demùm ASPERA ARTERIA est, Hippocrati per excellentiam hoc nomine dicta, superius laryngi, inferius autem pulmonibus adfixa, ut frigidiusculum aërem eò deduceret respirii & vocis, fuliginumque à corde exspirandarum causa: qua de circumspecte apud solertissimum Galenum l. 7. de administr. Anat; qui *rudem arteriam*, ut lacteolus ille *Lactantius fistulam spiritus*, eam adpellat.

Bronchus verò Grajis ἀπὸ τοῦ βρέχειν, vel ab irrigando non malè dicitur, cum bibentibus ea pars madefieri omninò soleat, & gallus colluto gutture, ut melleus delicias facit Erasmus, meliùs etiam cucuriat: primaria adeò colli pars, ut istud ejus causa factum imprimis, non malè etiam adseveres.

CAPVT IV.

Partes. **P**ulmones sanè sunt, quorum causa collum est, omnibus animalium saeculis, praeter sapientum, praeceptorem, 3. part. an. c. 3; id attestantibus: quibus collum habentibus adsunt, eo deficientibus absunt; quod